QVÆSITVM

Quamnam auctoritatem habeat Prouinciale Concilium legitimè conuocatum, & adunatum? & vtrùm ad componendas Controuerſias extendatur?

DISSERTATIO

ROMÆ, MDCCXXV.

Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Beatissime Pater.

MIRABAR planè Sanctitatem Vestram Vrbis, & Orbis Caput, ac Patrem, ea quæ in hac Rom. Prouinciali Synodo statuenda, & decidenda occurrissent, adeò delicatè, tantàque circumspectione voluisse proponere, vt de ipsiusmet propositionis æquitate, particulari priùs examine sibi constare voluerit; eòque magis admiratio, percrebuit cùm mihi, meæque Infirmitati = *Quamnam auctoritatem habeat Prouinciale Concilium legitimè conuocatum, & adunatum? & vtrùm ad controuersias componendas extendatur?* = placuit discutiendum, & decidendum Sanct. Vestræ committere. Nouum videbam honoris, & amoris inexpectatum indicium, illud tamèn propria culpa aut minuere, aut eo abuti posse verebar, cùm propriam Infirmitatem Sanctitatis Vestræ superauit auctoritas, Paternaque Pietate, ac mirabilis Doctrinæ S.V. splendore illustratus, ad propositi Dubij discussionem propriùs accedere non dubitaui.

Tanta est Beatissime Pater Prouincialis Concilij auctoritas, & iurisdictio, vt ad ipsam quoquè Fidei Hortodoxę materiam extendi possit iuxtà sententiam *Azor.par.2.lib.3.cap.47. Institut. Moral.quæst.7.* inquirendo de quibusnam in Prouinciali Synodo tractari debeat, docentis = *In primis agi debet de his, quæ ad Fidei negotium spectant, si in ea Prouincia apud nonnullos aliqua ambigua esse videantur* = Quod idem docet *Venero in suo examine Episcopali cap.22.de Synodo Prouinciali*, ibi enim ipsammet Synodum definit per hæc verba = *Est Congregatio plurimorum Episcoporum, & Clericorum ad tractandum de conseruatione, & augmento Fidei Catholicæ, de pace, & quiete, de Cæremonijs Ecclesiæ, de extirpatione Vitiorum* = quam definitionem refert *Isidor. in Æitimolog. verbo Concil. & num.22.* inquirens quæ debeant tractari in Concil. Prouinciali, sic respondet = *Quæ necessaria sunt pro stabilienda Fide Catholica, pro extirpandis Hæreticis, pro augmentando diuino cultu, pro moderandis moribus Fidelium, corrigendis excessibus, reprimendis Vitijs, componendis controuersijs, sedandis litibus, de Vita, & Honestate Clericorum, de docenda Doctrina Christiana, de Cathechismo, de faciendis notis Decretis Concil. Trid., & de alijs rebus, quæ per Sacros Canones, & antiqua Concil. decernuntur tractari.* Quod quidem loquendo de materijs Fidei verum esse puto, atque tenendum est, accedente Supremæ Cathedræ, Romanique Pontificis auctoritate, quæ sola in rebus Fidei est attendenda.

Hæc præmittere opere pretium duxi Beatissime Pater, vtpotè illa ex quibus meo iudicio ipsius disquisitionis initio clarissima, & inconcussa consequentia à fortiori deduci posse videtur = Igitùr multò

magis in Concilijs Prouincialibus agi poterit de Controuersijs componendis, & de cæteris omnibus, quæ ad materiam Fidei non pertinent, habentia tamèn ordinem ad Dei cultum, honorem, & gloriam. Sed ne vnico tantùm fundamento, & decidendo potius quàm examinando rem tanti momenti processisse videar, superiùs deductam Conclusionem placet hìc auctoritatibus primò DD. secundo rationibus; Tertiò demùm exemplo plurium Conciliorum Prouincialium comprobare.

Sacrum Concil. Trident. sess. 24. de reformatione cap. 2. sic habet = *Prouincialia Concilia sicubi omissa sunt prò moderandis moribus, corrigendis excessibus, controuersijs componendis, alijsque à Sacris Canonibus permissis renouentur* = ex quibus manifestè patet Prouincial. Concil. auctoritatem ad sedandas præcipuè Controuersias extendi posse per illa verba ibidem adnotata.

Sed quià exceptis Fidei Doctrinis vix aliqua subesse potest, quæ diuersimodè non sit interpretata atque concepta, id ipsum occurrit in casu præsenti, in quo plures videri possunt DD. diuersimodè prædicta Concil. Trid. verba interpretantes, ac iuxtà illorum sensus adducentes.

Azor. suprà relatus, postquam sanciuerit tractari posse in Prouincialibus Concilijs ea quæ ad Fidei negotium pertinent, subdit = *Deindè audiantur Causæ, quæ in Synodo proponentur siuè contrà Episcopos, siuè contrà alios, siuè quæ ad publicam vtilitatem pertinent, dummodò tamèn graues Causæ sint. Agetur de Episcoporum moribus, & vita, de administratione rerum spiritual., & temporal., & præsertìm de custodiendis, & obseruandis his, quæ sunt à Concil. Trident. definita.*

Qui infrà scilicèt *qu. 9.* inquirens an Synodus Prouincialis possit aliquid statuere, & definire ait = *Gratianus dist. 18. in principio scripsit Synodos Episcoporum tantummodò posse corrigere mores, & curare, vt quæ Canonibus statuta sunt seruentur: sed minimè est dubitandum: quin Synodus Prouincialis possit aliquid statuere, & definire, non quidèm quod sit contrà Ius commune, sed quod sit pratèr illud videlicèt addendo declarando &c.*

Dæmum *præcit. D.* quærens an possit Synodus Diocesana statuta perpetua condere, affirmatiuè respondet suamque responsionem legalibus corroborans Testimonijs sub præmissa distinctione, dummodò non sint contra Ius commune.

Cui sanæ profectò auctoritati accessit *Quaranta in Summa Bullarij verbo Concil. Prouinciale quæst. prima* ad quid scilicet conuocandum sit illud, & de quibus in eo tractandum ait = *Habetur in cap. Propter; cap. Quoniam 18. dist., & cap. Sicut de Accusat.*, quibus Causis addit ingeniosus D. = *Iusta etiam Causa illud conuocandi est cùm aliqua magna oritur dubitatio, quæ alias commodè non posset definiri* = & demùm concludit esse conuocandum iuxtà Decretum *Trident.*

su-

supracitat. pro componendis controuersijs.

Verùm *Lancellot. in suis Institut. Iur. Can. lib. primo* referens *Can. Ecclesiasticos sub tit. 3. de Ecclesiast. Constitut.*, inquit = *Prouincialia Concilia sunt quæ proptèr Ecclesiasticas Causas, & alias Canonum obseruationes per singulas Prouincias conuocante Metropolitano Episcopo omnes Prouinciales Episcopos, & Cathedral. Ecclesiarum Capitula celebrari placuit; Hæc autem neque definiendi, neque generalitèr constituendi vim aliquam habent, sed tantùm curandi vt id seruetur, quod alias statutum est, & quod generalitèr seù specialitèr obseruari præceptum est.*

Quæ verba etiam refert *Quaranta in resp. ad 36. quæsit.* Hinc vt supra dixerat *Azor. Gratianus* tantùm affirmabat huiusmodi *Concil.* vim tantummodo habere corrigendi mores, & curandi vt seruarentur statuta.

Hæc tamen quomodò sustineri possint non apparet. Vniuersi enim fermè Auctores respicientes ad *prædictum Concil. Trid. Decretum*, vnanimi consensu concludunt *Prouincial. Concil.* potestatem, & auctoritatem extendi etiam ad controuersias componendas, vndè *Barbos. super cit. cap. 2. sess. 24. de Reform.* plurimos adducit idipsum cohærentèr ad *Synodum Trident.* asserentes.

Et *Roccabert. in tom. 3. suæ Maximæ Bibliot. sub tit. de Sac. Concil. eorumque Auctorit. dis. 4. de tractan. &c. definien. &c. in Concil.* signanter differens de Prouincialibus communem DD. Sententiam apertis *Concil. Trid.* verbis consonam sequens ait = *Constat ea conuocari ad mores corrigendos; ad excessus moderandos, & ad controuersias componendas atque ad Sacra, & Diuina, ritè, rectè, & religiosè peragenda; Indè sequitur aliqua esse in prædictis Synodis perquirenda, siue indicanda, quædam eligenda, & alia statuenda.*

Et inferiùs loquens de his quæ statuenda sunt subdit = *Denique certum est posse Concil. Prouincial., & National. multa alia statuere vitam moralem concernentia, atque in augmentum Fidei, & Religionis non quidèm quid statuendo contrà Ius commune, sed vniformitèr ad illud, ac etiàm prætèr ipsum addendo, exponendo, & declarando.*

Ex quibus DD. auctoritatibus vix fundamentum dubitandi remanet Prouincialia Concilia tantam vim ac auctoritatem habere, vt ad sedandas controuersias possint extendi, quod veriùs rationibus ostendere, & comprobare conabimur.

Et primò. Si Concilium Prouinciale habet auctoritatem decidendi, etiàm in materijs Fidei = quòd in dubium haùd potest reuocari. Historiæ enim Sacræ, & Ecclesiæ Tabulæ plurimos Hæresiarcas in Prouincialibus Concil. iuisse damnatos, & quæ illa decreuerunt, firma esse habita, & accedente confirmatione Rom. Pont., vt orthodoxa, & Fide Diuina certa, credita. Concilium enim Carthaginense, & Meleuitanum damnauerunt Pelagium, & Cœlestium. A' Toletano fuit Priscillianus proscriptus. Telense damnauit El-

uidium

sidium. Ab Arausicano fuere profligati Semipelagiani. Quę Synodi Prouinciales decreuerunt contrà Hæreses, harumque decreta suam habuere subsistentiam, postquàm Romanæ Ecclesiæ Pontifex eadem rata habuerit, & confirmauerit. Quod quidèm non fecisset si Synodi illæ in talibus casibus facultatem sic decernendi non habuissent. Hoc igitur supposito sic argumentum reassumo, si igitur Prouincialia Concilia habent auctoritatem tractandi materias, etiàm Fidei, quanto magis vim, & auctoritatem habere fatendum est cæteras materias tractare, & præcipuè controuersias Prouinciales componere? Maius enim Ius, ac maior auctoritas requiritur in illis, quàm in istis pertractandis.

Secundò. Videtur hìc esse fortassis primus, & præcipuus finis huiusmodi Conciliorum sedandi nempè lites, & componendi controuersias iàm suscitatas, vèl quæ oriri possent inter suffraganeos Episcopos, & Ecclesias eiusdem Prouinciæ testante Sac. Euangelio = *Vbi Charitas, & Amor, Deus ibi est*, quæ quidem Charitas refrigescit, & persępè inter lites, ac dissidia extinguitur, cuius augmentum præcipuè debent intendere conuocationes Prouinciales, & cæteræ omnes, & controuersias omnes sedare. Id enim fuit, quod lugebat Apostolus = *Audio intèr vos multas esse scissuras* = illasque sedare omninò curabat. Ergo illorum auctoritas ad componendas controuersias extendi debet.

Tertiò demùm si quis ausus esset asserere prædictā auctoritatem pænes Prouincialia Concilia non residere, deberet profectò ostendere Sanctiones, & Leges id prohibentes nec sola negatiua probationis nę quidem umbrā afferre in conspectu tot auctoritatum DD., *& Concil. Trid.* nec non rationum supra à me quomodocunque congestarum.

Remanet igitur solum ut probationes ab exemplo & Væterum Testimonio adducantur; quæ in omnibus sed præcipuè in Casu præsenti magnam vim habent.

Respiciendo, quippè ad tempora, quæ maximam Trident. Synodum præcesserunt, multa fuere celebrata Concilia Prouincialia, tùm Romæ, tùm alibi, præter suprarelata, vt videre quisquam potest *apud Roccabert. tom.15. pag.32. num.185. & seqq.* in quibus plura definita fuere, siuè ad Fidei, siuè ad morum, siuè aliarum rerum materiam pertinentia. Inter ipsa, quædam hic breuiter tantum indicanda duximus.

1. Cornelius Papa Concilium celebrauit Prouinciale, in quo contrà Nouatianos definiuit quod lapsi essent ad pænitentiam admittendi.
2. Damasus damnauit hæresim Appollinaristarum, & decretauit in Christo Animam rationalem.
3. Cœlestinus damnauit hæresim Nestorij, & Decretum damnationis in Romano Concilio editum, ad generalem Synodum Ephesinam transmissum fuit.
4. Gelasius definiuit, quinam essent tenendi vt Sacri, & canonici Libri.

5. Bo-

5. Bonifacius I. Sanciuit Papam non posse sibi eligere successorem.
6. Gregorius I. Prohibuit, nè laici in administratione rerum temporalium Monachorum se ingererent. Ipsosque ab Episcoporum jurisdictione liberauit.
7. Martinus I. Proscripsit hæresim Monothelitarum.
8. Gegorius II. Execrauit errorem Iconoclastarum.
9. Paulus I. Decreta plurima de Ecclesiarum, & Monasteriorum immunitate formauit.
10. Stephanus IV. Sanciuit, nè quis eligi possit in Papam, nisi Præsbyter Cardinalis, aut Diaconus esset.
11. Leo IX. Damnauit hæresim Berengarij circa Eucharistiam.
12. Alexander II. Execratus fuit incestuosorum errorem, dicentium licita vetita coniugia.
13. Calistus II. Errores Gilberti Porrectani proscripsit.
14. Innocentius II. Damnauit errores Petri Abailardi.
15. Eugenius III. Plures condemnauit errores, & inter alia definiuit, præter Christum, quoque puros homines mereri.
16. Allexander III. Albigensium falsa dogmata profligauit.
17. Clemens V. In Concil. prouinciali Mogunt. definiuit circa causam Templariorum.

Hæc & alia Prouincialia Concilia, ut loco citato videri potest, fuere celebrata, antè Trident. & in ipsis plurima definita. Respicientes deinceps ad tempora post Trident.

Teste Battaglino in sua Hystoria videlicet *Concilior. tom. 2. pag. mihi* 523. sub S.Carolo Borromæo Mediolanen Archiepis. uti Apostolico Delegato fuit celebratum Prouincial. Concil. Mediolanen de anno 1565., in quo varii Canones, & Decreta emanarunt utpotè pertinentia ad Fidei professionem, & custodiam, ac de Sacramentorum administratione.

Item adest Concil. Prouincial. Cairense de anno 1582., in quo fuit decretata obedientia præstanda Summo Pontifici. Secundò in Christo unicam adesse Personam Diuinam, & duplicem naturam. Tertiò non esse necessariam immò abolendā Circumcisionem; circà quę profectò controuersias tunc temporis ortas fuisse dicendum est, ac per huiusmodi Concilium compositas.

Item Concil. Petricouiense de anno 1607. statuit & definiuit contrà Socinienses Verbi Diuini Veritatem, qui dicebant non solum cum Arianis illud esse Patre inferius sed quoque non fuisse priùs creatum, quàm in Vtero Matris conceptum.

De annò 1653. Concil. Gallicanum Iansenistarum errores nouiter inuentos damnauit.

Ast his solummodò præsuppositis nè dicam etiàm ommissis nonnè vt optimè aduertit *Roccabert. tom.* 15. *de Decretis Eccles. art.* 6. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, Præside Summo

Pon-

Pontifice, qui aliundè solus absque aliorum consilio potest, & valet aliquid decernere, nonnè inquam decernit, & definit non tantùm declarando, sed de nouo statuendo tùm in materia Fidei, tum etiam morum, & quarumcumque rerum Ecclesiasticarum?

Prædicta sanè Sacra Congregatio ęquiualere videtur cuicumque Concilio siuè Generali, siuè Prouinciali. Quid igitur obstabit in præsenti Lateranensi Synodo, quæ etsi Prouincialis nuncupata, tamen Præsidem habet per se ipsum Summum Pontificem, nè facultatem habeat componendi Controuersias, præcipuè quæ sunt citrà Fidem?

Integer esset referendus articulus 4. *l. cit. Roccabert.* in quo vsque ad annum 1328. sub Ioanne XXII. Papa recensentur Concilia Generalia, & Prouincialia celebrata, in quibus, vt diximus, & signanter in his secundis multa prorsùs noua fuerunt statuta, & definita, quæ tamen cuncta specialiter non notantur, quoniam non videtur necesse, vtpotè res, quæ de se est manifesta, nec vlteriori indiget discussione. Ita censeo si Sanctitati Vestræ placuerit.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magister.

An citra contemptum, & ex pravo habitu liceat in administratione Sacramentorum præterire sine peccato mortali sacras cæremonias.

Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIII. Pont. Max. Dubium proposuit in prima Congregatione Concilii Romani circa observationem sacrorum Rituum & Cæremoniarum, quod videtur sic examinandum.

OMissio Cæremoniarum, etiam sine contemptu, *est lethale peccatum* ex suo genere; quia præceptum, Religionis ad eas observandas, non utcunque, sed sub pœna peccati mortalis obligat.

Hæc omissio dicitur *lethalis ex suo genere, idest quatenus refertur ad suum objectum, quod grave est*. Licet igitur Cæremoniæ omissio, per accidens venialis esse possit, in *levi* nempè materia; semper tamen in materia *gravi lethalis est*, si excipias necessitatis casum, in quo vel unam, vel plures Cæremonias prætermittere & fas est, & necesse est, v. g. cum baptizandus est infans, qui mox moriturus non temere creditur.

Secluso igitur *necessitatis casu*, hujusmodi Cæremoniæ omitti nequeunt sine peccato, eoque *lethali*, etiamsi absit contemptus. Hinc *S. Thomas 2. 2. Quæst. 93. art. 1. ad 3. dicendum*, inquit, *quod diversæ consuetudines Ecclesiæ in cultu divino in nullo veritati repugnant, ideoque sunt servandæ, & eas præterire illicitum est*. Hæc vir sanctus.

Cæremoniarum observandarum necessitatem, saltem ex Ecclesiæ præcepto sacerdotibus impositam esse, negari non potest, ideoque nemo eas sine flagitio prætermittere potest.

Hanc rem luculenter explicat *Franciscus Suarez*, non ultimus Societatis suæ Theologus, *tom. 2. disp. 84. sect. 1.* ubi ait, hos ritus, licet ab Apostolis ipsis non omnes institutos, sed ab Ecclesia, fundari tamen omnes in his verbis Apostoli 1. *Corinth cap. 14. omnia honestè & secundùm ordinem fiant*: & ideò oportet, in his omnibus, *etiam minutissimis*, certum ordinem ab Ecclesia constitui, tum quia si hæc relinquerentur uniuscujusque arbitrio, multa indecore & imprudenter fierent; tum quia Ecclesia censuit

ſuit, in tam alto & ſacro miniſterio nihil eſſe leve exiſtimandum, quominus maxima decentia & gravitate fiat. Huc facit illud Martyris Cypriani in Expoſitione orationis Dominicæ: *placendum divinis oculis, etiam in habitu corporis*. Denique hæc uniformitas, quæ in omnibus ſervatur, ad ſplendorem officii eccleſiaſtici pertinet, unitatem Eccleſiæ cuſtodit, paſtorumque ejus curam & ſollicitudinem commendat.

Idem *Suarez tom. 3. diſp. 83. ſect. 3. & diſp. 84. ſect. 2.* hanc materiam ex Miſſali & Tridentino Concilio accuratè pertractat, & ex eo *Bonus Merbeſius in Summa Chriſtiana tomo 2. pag. 463. 464.*

Quiſquis autem *habituali* mentis ſupinitate & torpore ſacros Ritus & Cæremonias diſcere, vel obſervare, vel attendere, ſeu animo volutare negligit, tum in materia *gravi*, tum *levi*, generatim loquendo, peccat *lethaliter*,

1. Quia talis negligentia contemptus eſt indirectus, & *virtualis*, ut ita dicam.

2. Quia homo ille, qualiſcunque ſit, ſeſe in periculum conjicit ſpiſſos & continuos errores, eoſque graviſſimos admittendi.

Ex his conſtat, quam verè S. Thomas *peſtiferum* eſſe dixerit præterire Cæremonias, divina auctoritate ab Eccleſia conſtitutas; ſic enim loquitur 2. 2. *Q. 93. art.* 1. jam ſupra citato: *ad ſecundum dicendum eſt, quod ante tempus Legis, juſti per interiorem inſtinctum inſtruebantur de modo colendi Deum, quos alii ſequebantur. Poſtmodum vero exterioribus præceptis circa hoc homines ſunt inſtructi: quæ præterire peſtiferum eſt.* Ita S. Thomas. Quod vero *peſtiferum* eſt, utique *lethale* eſt.

Ita cenſet Juſtus Fontaninus Abbas Sextenſis, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ nullo medio ſubjectus.

Romæ hac die 28. Aprilis 1725.

ROMÆ, MDCCXXV.

Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.